

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * *



- I. Quadragesima Triseptuagesima Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti consecrationum à M. Zacharia Wommerspiezo.
- II. Casuum conjectio, quibus moti Status Regni Bohemae ad Novi Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. ~~SVXX~~ ~~SVXIIII~~ Insuper ad Christianum Danica Regem Fran. Angelii.
- V. Soteria Aca Lemae Wittebergenis Johanni Georgio Electori Saxe Polite.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini M. Moei Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentaliter Rudolpho Principi Anhaltino de Fur ad eodem.
- VIII. De Vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Heroldiani.
- IX. Narratio Uxoriorum de Johanni Georgio Principi Anhaltini Vita et Obitu.
- X. Halcodonia Tschirgii Francofurtanae D. Cyriaci Heroldiani.
- XI. Caputis Venarii Ueregetus Christianus de Vita et Morte Georgii a Schonaui.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Decemii.
- XIII. De Aëris salubritate et Studiorum Commotitate in valle Franckim-
gi eisdem.
- XIV. De Eraxione, Utrum Literarum Cultoribus sit peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cognitionis M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De Vita et Morte Franckimii Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Ezechachi incho. gno. incho. sublati.
- XVIII. Programmata Publicum Aca Lemae Francofurtensium.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Heroldiani.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatrix Martini Milagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianii de Schließen
- XXIII. Exequia Solemnia Johannis Christophori Heroldiani.

O R A T I O

D E

Vita & Morte

CLARISSIMI ET POLITIS-
SIMI VIRI,

D O M I N I O

ACHIMI STRASBURGI, CON-
filiarii Halsici, & in Aula Cæsarea quondam à ne-
gotiis, &c. Qui 29. Decembr. Anni 1620. Servestæ in-
ter Septimam & Octavam vespertinam
placide in Christo obdor-
mivit.

R E C I T A T A

In Illustri Gymnasio Servestano

à

GULIELMO STRASBURGO. fr.

S E R V E S T Æ

Apud Zachariam Dörfferum,

ANNO M. DC. XXI.

*Clarissimo ac Politissimo Viro Domino Magistro Petro à Jena
Schola Servestanae Rectori meritoſissimo amico suo
ſingulari ac perſuaro ꝑ.*

RECTOR GYM
NASII FRVSTAN

Handwritten text, likely a Latin inscription or title page, including the word "DOMINUS" and "GILIELMO STABARNO".



RECTOR GYM- NASII SERVESTANI,

Studiofis S.



Uid tam circumcisum tam breve quam
hominis vita longissima? verba sunt
Plinii Secundi, Epistol. libr. 3. Epistol.
7. Imò verò, mi Plini, quid tam cir-
cumcisum, tam breve, quam vita hominis brevis-
sima? Hoc verò nos tecum recordantes humanæ
fragilitatis miseratio iusta subit. Nec veniã tan-
tum, sed & laude dignas existimamus Regias illas
lacrymas, quas exercitus immensi obtutus, angu-
stique termini, quo innumeræ multitudinis con-
cludebatur vivacitas, cogitatio expressit. Omnes
promiscuè mortales miseratio hæc attingit: quæ
tamen mira capit incrementa, si non ad promif-
cum vulgus, sed ad eos, quos igneus vigor supra
vulgi sortem extulit, & immortalitatis adoreâ or-
nandos mortalibus ostentavit, extendatur. Nam
qui voluptatibus dedit; in diem vivunt, vivendi
causas quotidie finiunt, minusq; sui desiderium
relinquunt, Plinio arbitro: Eorum verò, qui im-
mortale aliquid parant, & mortalibus promit-
tunt, vivendiq; causas ex causis quotidie neunt,

A 2 non

non potest non acerba semper & immatura mors
esse, ut quæ semper inchoatum aliquid abrum-
pat, & conceptas de iis mortalium spes evertat.
Exemplum è longinquo non est quod accersa-
mus, cum PII MANES viri olim præstantissi-
mi & doctissimi, JOACHIMI STRASBUR-
GI, Consiliiarii Hassiaci, nostris obversentur ocu-
lis, & mentibus, qui ultimum humanitatis offi-
cium, idq; geminum, gratam virtutum prædica-
tionem, & honestam Exequiarum deductionem,
nos flagitant: illud Programmate funebri præsta-
re, istud exequias eundo explere enitemur. Na-
tus est JOACHIMUS STRASBURGUS,
Anno M. D. LXXIV. IX. Xbr. parentibus do-
mi forisq; honestissimis: Patre, ABÈLE STRAS-
BURGO, J. C. eminentissimo, florentissimæ Rei-
publicæ Noribergensis Cõsiliario gravissimo: Ma-
tre, MARTHA, foeminâ sexus sui ornamento sin-
gulari, etiamnum superstite, Filiâ JACOBI
THOMINGII, J. C. celeberrimi, Juridicæ Fa-
cultatis in Academiâ Lipsiensi olim Ordinarii. Fi-
lium hi suum quàm similitimum sibi, hoc est, opti-
mum voluerunt. Itaq; cum pueritiæ ratio intra
natale contubernium eum teneret, his primis vi-
tæ formatoribus usus, nihil domi audiit, nisi pro-
futu-

futurum; nihil didicit, quod nescisse rectius fuerit. Postquam verò annorum & bonarum literarum incrementis robustior adolescentia extra patrium limen proferre studia gestiit, de Patris consilio, Academiam Altorfensem, Noricæ Reipublicæ alumnam, virorumque doctorum altricem, adiit; in qua postquam tenella eruditio virile prope modum robur sumfisset, Lugdunum Batavorum arridere cœpit, quo & vivo ac volente Patre, tanquam ad Emporium literarū florentissimum, avidè contendit, omnimodæ eruditionis numeros expleturus. Tandem verò voti damnatus, unoque; & altero Europæ angulo peregrinationis institutæ cursum circumscripsisse iniquum, & virtute ad ardua tendente indignum ratus, fatis jam Patre functo, in nobiliora Europæi orbis regna, Galliam, Angliam, Italiam, Hispaniam, cursum extendit, hominumque; & mores & linguas nosse, in votis unicè habuit. Hæc itinera, hi labores exantlati, ad ætatis usque; annum XXV. successu tot sudoribus haud indigno. Eos enim, juvenilibus annis, eruditionis & politicæ prudentiæ thesauros collegit, quos maturior ætas in sexcentis aliis, qui Mularum sequuntur castra, vix promittit. Judiciū de rebus momentosis acere ei erat, lingua ad

animi promenda sensa felix & expedita, sive patrio, sive peregrino idiomate loquendum aut scribendum esset. Latini sermonis elegantiam, in Epistolis & Orationibus, non potui non admirari, quoties earum vel legendarum vel audiendarum mihi facta copia. Egregium hoc talentum, quod Deus Natura, institutio & laboriosa industria concesserant, occultare aut defodere cum & turpe & periculosum duceret, fœnori elocare in Imperatoria Aula, quam anno M. DC. IX. adiit, animum induxit, propitio votisq; aspirante Numine: Quod enim virtutis ingenium, in sui admirationem homines rapere, & Magnatum benevolentiam cultoribus suis conciliare, in JOACHIMO nostro non expiravit. Ut enim primum viri virtus percrebuit, & secundis fama velis ad Illustrissimi MAURITII, Hassiæ Landgravii, Principis literatissimi aures appulit, nil prius faciendum sibi putavit, quàm ut fidei sacramento eum sibi obstringeret, & Consilarii axiomate honestaret; Cui ab eo quoq; tempore principalium negotiorum in Aulâ Cæsareâ expediendorum curam commisit, quâ, fide bonâ, è Principis sui voto, ad ultimum usq; *πρωλεθρίας* momentum, defunctus est. Coelibis vitæ postquam pertæsum
esset,

esset, flagitante mutationem loci, in quo vixerat, conditione, de matrimonio ineundo deliberare cœpit, omnibusq; probe momentis ponderatis, castos amores à lectissimâ virgine **SUSANNA**, Filiâ nobilis **TADDÆI HAGECII** ab **HAYECK**, Romanorum Imperatorum, **MAXIMILIANI & RUDOLPHI** olim Archiatri felicissimi, & Mathematici præstantissimi, sensit accendi, Numinisq; ductum secutus, anno M. DC. XVII. XXI. IXbris, thalami consortem eam sibi legit, quâ cum suavissimè triennium, sine prole tamen, exegit. Tandem igitur fatali appropinquante horâ, viribus corporis sat validis, non nihil tamen ex ægritudine animi, quam communis calamitas toto jam orbe nota tetigerat, dejectis, viæ se dedit, ut & suos heïc **Servestæ** inviseret, & ad principem suum hinc cursum expediret: quam suscepti itineris metam sibi fixerat. Sed proh dolor! non attigit. Cum enim, XII. proxime elapsi Xbris, **Servestam** appulisset, altero ab appulsu die, gliscentis morbi initia sensit, quibus singulis diebus facta accessio, quâ magis magisq; fractæ vires: donec **XXIX.** ejusdem mensis dies illuxerat, qui ægrum corpus penitus prostravit, animamq; terrena omnia fastidientem, solamq; Cœlestem

lestem ambrosiam sitientem corporeis nexibus,
inter septimam & octavam vespertinam, placide
liberavit, expleto jam Clymaeterico enneadico
quarto: Sic ergo sanus, ut videbatur, viam ingres-
sus prius vitam quam viam finivit, in itineris sus-
cepti cursu interceptus, & in Cœlestem Patriam
revocatus, in ipso veteris exeuntis, & novi inen-
tis anni confinio, perpetuum sine nocte diem, an-
numq; nunquam senescentem in Abrahæ sinu vi-
cturus. Hanc verò fatalem & ab æterno ipsi de-
stinatam terram cum triverit, ab eâ quoq; ut te-
gatur, Religio vult; quâ Mater, Fratres, Sorores &
Affinis, Dominus Cancellarius, A N D R E A S
K N I C H E N, defuncturi exequiis celebrandis
diei crastini, qui IV. Januarii, octavam matuti-
nam dixerunt. Vestri quid sit officii, me non mo-
nente aut jubente, intelligitis. Nempe, quem
insignes animi dotes, dum in vivis esset, superio-
rum clementiâ, parium benevolentia, inferio-
rum observantiâ dignum fecerunt, eidem & ho-
nestas exequias, cum omnium ordinum, tum li-
teratorum imprimis confluxu ornandas, mortuo
promeruerunt. Itaq; ad dicti diei horam, eâ, quâ
par est, modestia & habitu, luctus indice, funus
cum aliis ut deducatis, humanitas & æquitas po-
stulant.

stulant. Dab. Servestæ, 3. Januarii. Anno M.
DC. XXI.

M. Marcus Fridericus
Wendelinus G. S. R.

RECTOR
GYMNASII SERVESTANI
Studios: Sal:

D *E funebrium laudationum ori-
gine & gloriâ certant Græci &
Romani, nec litem Historici cõ-
ponunt. Pro Romanis tamen de-
ponere videtur Historicus Græ-
cus Dionysius Halicarnas: lib.
5. adscriptâ certaminum funebrium gloriâ Græ-
cis, Orationum Romanis: quos inter pia huic o-
pera VALERIUS PUBLICULA (cui favor
in plebem cognomentum dedit, docente ex Hali-
carnas: prænobili J. C. ANDREA KNICHEN
in lectissimis Cõmentariis de Romanorum Imp:)
B Auto-*

Autocratia, num. 343.) primus linguam com-
modavit. Mos verò hic et si à Romanis pariter
& Athenensibus frequentatus: longè tamen ab
illis quàm istis prudentius est constitutus. Athe-
nenses enim solos illos, qui in bello cæsi sepultura
mandabantur, funebrium orationum honore
maestandos judicarunt, ex unâ tantum virtute,
cujus summa in morte obeundâ, viros bonos esti-
mantès: Romani honorem hunc non Martis tan-
tum, sed & Pacis Alumnis, qui sana in publicum
consilia contulissent, & laude digna toto vitæ
curriculo patrassent, deberi existimantes, tam
togatos quam sagatos funebrium Orationum feli-
citate bearunt. Ab his ad nos quoq; mos deri-
vatus, quem in hunc usq; diem illibatum, inter
virtutum cultores & admiratores, pietas con-
servavit. Cum igitur PII MANES præstantissi-
mi olim & doctissimi viri, JOACHIMI STRAS-
BURGI, cui exsequias modò roimus, supremum
hoc pietatis & humanitatis officium superstites
postulent, defuncti Frater VILHELMUS
STRASBURGUS, strenuus & Martis & Ar-
tis

tis Alumnus, prisca memor consuetudinis, quâ
funebri laudationis munus in eos, qui mortuum
proximè accedunt sanguine, devolvitur, Polyb.
lib. 6. vitam Fratris oratione luculentâ conditam,
in publico Gymnasii auditorio, crastina luce, post
octavam matutinam, recitare constituit. Equi-
dem & hoc nomine felicem defunctum judico,
quod sanguinis sui virum laudatorem eloquen-
tem nanciscatur, qui laude digna non dicere tan-
tum, sed & facere lingua manuq; (ex ipsis enim
modo horridioribus Martis castris miles fortis e-
greditur) paratus. Huic igitur defuncti Fra-
tris laudes oratione diserta & affectu pio perse-
quenti ut patentes & benevolas aures præbeatis
hortor & jubeo. Dab. Servest. IV. Januarii.
ANNO M. DC. XXI.

M. Marcus Fridericus
Wendelinus. G. S. R.

B 2 ORA

ORATIO FU- NEBRIS.



Citum est illud Euripidis dictum meritoq; celebratum, Auditores omnium ordinum præstantissimi:

Gaudere atq; dolere necesse est,
Mortalis enim es: Sin tu nolis

Tamen eveniet: Sic Diis placitum.

Quæ sententia frequentissimis, omnium temporum, omnium hominum, omniumque gentium experimentis comprobatur. Quotus enim quisq; vestrum est auditores qui ignoret, res mortalium gaudii & tristitiæ, doloris & voluptatis, spei & timoris perpetua quadam vicissitudine ac temperamento constare, neque ulli in his terris solidum, sincerum ac perpetuum gaudium contingere, sed tristitiæ dolorumq; amaritudine subinde omnia dilui, misceri atq; interrumpi. Evoluant qui volunt omnium gentium historias, quæ à nascantis mundi infantia ad nostram usque senectutem pervenerunt, nihil sanè diuturnum non dicam perpetuum in illis inveniet, sed continuas dari vicissitu-

fitudines, omniaq; vim contrariorum naturamq;
corruptionis experiri intelliget. Ubi nunc est il-
lum illud superbum olim tam illustre ac celebre!
Ubi nunc Carthago olim tam inclyta & continuis
bellorum studiis nobilitata! Ubi Romanorum
Imperium tot gentium sanguine partum! Ubi A-
lexander Magnus tot regum copiis deletis! In pri-
stinum certè statum rediere, & omnes fortunæ in-
constantia ac humanarum rerum vicissitudini
subjecti & expositi fuere. Maximam sane Con-
siliatorum atq; actionum in vita humana infirmita-
tem atq; varietatem esse, exempla hodierna no-
strorum temporum clarissimè demonstrant, quæ,
quoniam odiosa sunt meritò prætereuntur. Quid
vero dico de Imperiis, regnis & rebus civilibus,
cum nec homines ipsi diu in eodem statu persiste-
re queant, sed ut nascuntur & crescunt, sic etiam
decrescunt & moriuntur. Certi enim limites à
divina providentia præstituti sunt, qui nulla vi,
nulla prudentia, nullaq; medicina nostra vitari &
transiri possunt: nascendo quippe, denascendo,
incrementa nunc rursus decrementa capiendo,
variis demum vicibus & alternationibus nunc
morbi causam nunc spem vitæ facientibus, ad ex-
tremum fati diem ita pervenimus; Commune hoc

B 3

mor-

mortalitatis tributum & fatale vectigal, quod omnes mortales pendere cogimur, Deo & communi omnium parenti nuper etiam in hac urbe persolvit Dn. Joachimus Strasburg, Consiliarius Hassicus, & in aula Cæsarea quondam à negotiis, cujus funus pro singulari erga mortuum benignitate comitatu ac præsentia vestra honorificè condecorastis, & ita rem vobis laudi, nobis quantum in luctu & dolore fieri potuit per gratam exhibuistis, cogitantes, nihil magis humanum esse quam humanis casibus ingemiscere: nihil magis convenire mortalibus quam hac luce defunctis, ultimam illam voluntatem, ultimos gemitus, suspiria, lachrymas, æquo animo exhibere ac persolvere. Luctus sanè tristitia atq; dolor, humani sunt & naturales affectus, quos si ratio eis dominetur nemo sapiens culpare poterit. Cum Marcus Antoninus Imperator cognomento philosophus educationem suam vita defunctum impensius lugeret, idq; reprehenderetur à quibusdam, tanquam Imperatoris gravitati Philosophi q; juxta indecens, Dixisse ferunt, Antoninum Pium: finite ut homo sim: neq; enim Imperium hominem ex homine tollit neq; humanis sensibus & affectibus hominem exuit. Quin etiam scripturam sacra ad mortuos modicè

dice lugendos tanquam rem honestam & laudabilem læpissimè hortatur. Apud Homerum Achilles monet Myrmidones ut Patroclum amicum suum defleant, cujus hæc sunt verba:

Astantes (inquit) Patrocli lachrymas in funus amici

Fundite, defunctis tales debentur honores.

Et sane ut vivos meritissimo omnis venerationis studio colimus, ita demortuorum memoriam gratissima commemoratione ut posterius ad culturam virtutis exemplo incitentur celebrari æquissimum est. Postulat hoc summa illa Religio, pietas & fides, quam Ethnici venerantur, antiquitas colit, & sacrarum literarum autoritas plurimis in locis commendat: nimirum ultimam voluntatem, ultimum officium, ultimumq; mortalitatis solatium & præmium defunctis hac luce æquo animo exhibere. Quod dum & ego facio, ac saceris beatissimi fratris manibus, debitum munus & à desiderio ultimo profectum persolvere conor, ad ea quæ breviter dicturus sum, auditores quæso diligenter attendite. Natus est Joachimus Strassburgus, Patre viro Præclarissimo, Dn. Abele Strassburgo, Jurisconsulto, ac Reip. Noricæ Consiliario primario, in quo insignis eruditio cum eximia

inte-

integritate morum, singularique animi modestia
& pietate ita certavit, ut virtus ne an doctrina præ-
ponderet difficile fuerit iudicium: Qua quidem
rarissima societate, venerandoque scientiæ ac inno-
centiæ conjugio omnium amorem & benevolen-
tiam sibi conciliavit. In quanta serenissimi Chri-
stiani I. Saxonie Electoris, & Illustrissimorum P P.
Anhaltinorum Dn. Joachimi Ernesti, & Dn. Jo-
hannis Georgii p. m. tempore, existimatione fue-
rit, qui ab invidia & affectibus alieni estis, dicite,
vos appello. Neque enim aliquid fingere aut veri-
tati addere animus est, quæ omnes boni noverunt,
admirati que sunt ea dico, ea loquor. Familiam
maternam quod attinet, natus est foemina hone-
stissima Martha, viri Præclarissimi & Consultissi-
mi Dn. Jacobi Thomingii Jcti Celeberrimi & in
Academia Lipsiensi quondam Juridicæ facultatis
Ordinarii meritissimi filia: de quo multa dicere,
in cuius laudes excurrere, cuius virtutes omnes e-
narrare pudor & verecundia prohibet, cum ista-
rum celebratio propriæ quasi laudis decantatio ef-
se videatur. Hisce inquam parentibus Anno à sa-
lute parta 1584. 9. Decembris prognatus & à te-
neris annis probis & honestis præceptoribus com-
mendatus ab iisque in liberalium artium & Chri-
stianæ

Religionis studio rectè feliciterque eruditus & informatus fuit. Viderunt enim probeque intellexerunt optimi parentes, primam educationem esse nobilissimam, multumque referre ac in eo positum esse, quibus præceptis, quibus exemplis à primis annis quis instituatur. Et si enim natura per se magnas vires magnosque impetus ad honestatem habet, nisi tamen disciplina & doctrina conformentur, immoderatos interdum motus pariunt. Pueritiæ quidem suæ tempus optimis institutis ac præceptis traduxit, ac ætatem illam maximè lubricam atque flexibilem sanctissimis pudoris & modestiæ legibus custodivit. Cum ex Ephebis excessisset, optimam vitæ suæ partem in præcipuis Academiis consumpsit, ibique præclara vitæ laudabiliter instituendæ documenta sibi comparavit, nec bonorum tantum, verum etiam gloriæ & virtutum paternarum hæres esse voluit. Conducit sæpè soli bonitas rebus nascentibus, & semina quædam virtutum à præstantibus naturis in posteros propagantur, ut verissimè Horatius cecinerit:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuvenis est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces

C

Pro-

Progenerant aquilæ columbam.

Et notum est illud quod ab Iobao tutore liberorum Herculis apud Euripidem commemoratur: Non liberis est pulchrius munus aliud quam liberos dici parentis optimi. Claris parentibus ortum esse egregia laus est liberis: liberos vero habere avitæ virtutis æmulos non minor gloria patrum est: In arboribus ex plerunq; laudantur quæ ex feminibus optimè coaluerunt, & uberrimos fructus ferunt: Inter homines etiam exclaris parentibus esse progenitum, illorumq; vestigiis cum laude insistere, semper pulcherrimum fuit habitum. Crescente cum ætate iudicio, animoq; ad peregrinandum maturo, Italiam, Angliam, Galliam, Belgiã adiit, reliquasq; præcipuas Europæ regiones non absq; fructu perlustravit: ex quibus tandem redux, cum extra animi sua angustias egressus, supra plebis vilitatem sepositum cernebat, nihil cogitare cepit, quod non cum virtute & honestate conjunctum esset. Inde amicitia cum viris toto ferè terrarum orbe celebratissimis contracta: Inde vita seria & gravioribus curis ac negotiis exercitata, atq; ab eo tempore summum pietatis studium in eo fuisse citra adulationem dicere possum. A publicis muneribus abstinere &

ætã-

atatem in perpetuo privata vitæ otio degere
velle, semper vilioris mentis, at econtra excelsi
animi duxit, omne Consilium, ingenium & ope-
ram ad Reip. in qua quis vivit dignitatem tuen-
dam, augendam, ornandamque conferre. Hæ
cogitationes tandem cum impulerunt, ut in Illu-
strissimi Mauricii Hassiæ Landgravii (quem lu-
men Germaniæ, decus ac delicias ætatis nostræ
non immeritò appellat Waremundus ab Eren-
berg in Meditamentis pro Fœderibus) Principis
literis & armis instructissimi clientelam se trade-
ret, Consiliariiq; munus subiret, ac in aula Cæsa-
rea, graviora Principis sui negotia expediret. Cum
vero inter præcipuas humanæ felicitatis partes
quietum & honoratum matrimonium censeret,
de eo ineundo etiam cogitare cœpit: Invocato
itaq; prius Divini Numinis auxilio, Deoq; ter opt.
Max. viam monstrante ac Consilia ejus gubernan-
te, lectissimam virginem Susannam, Nobilis Viri
Dn. Tadæi Hagecii ab Hajeck, Romanorum Im-
peratorum Maximiliani & Rodolphi Sacratissi-
mæ Memoræ quondam Archiatri honoratissimi
filiam in matrimonium duxit, cum qua mira con-
cordia mutuoque amore & caritate vixit, ac qui-
bus rationibus amorem conciliavit, iisdem etiam

ad mortem usque conservare studuit. Itaque non immoderatus, aut acerbus, aut intolerabilis, in conjugio, sed temperatissimus, humanissimus, mitissimus ac mansuetissimus visus fuit: Ad reliquam vitam quod attinet, fuit alienus ab ambitione, alienus ab ira, alienus ab invidia: unde & honores delatos aliquoties contempsit, ac in honesto otio ac recta conscientia summum semper decus ac praesidium reposuit: Quod si quis singularem ejus erga Deum Immortalem pietatem, sive animi magnitudinem, & ingenium, sive raram prudentiam spectet, nihil certe in eo desiderabit, praeter feliciora tempora & longiorem a Deo concessam vitam. Sed magnis virtutibus haec lex posita est non diurnare. Nam ut magnos animos infundit corporibus, ita etiam cito ad se vocat idem ille Deus, ne vivendo diu, diu polluantur, & in terra sua delitescant. Cum non ita pridem ex infelicissimo illo Bohemiae regno, tam externorum quam domesticorum armorum licentia vastato, ad Illustrissimum Mauricium Habsburgi Landgravium properaturus huc transfret, in morbum incidit gravissimum tandemque fatalem. Palpitare cor ab aliquot annis senserat, sed cum tanta progressione & vehementia nunquam. Sævisi-

vissimum autem illum morbum esse utpote in quo mens ipsa in societatem mali trahatur minimè dubium est. Postquam multas noctes insomnes traduxisset, omnibusque quibus humana vita sustentari solet, stomachi vitio abstinuisse, vires autem supra modum laborantes atque perditas magis magisque succum bere sentiret, placidè ea quæ ad morituros spectant, secum agere cœpit: Necessitatem illam moriendi divina providentia metiebatur, ac sciebat nihil mali divinam bonitatem de illis statuuisse, qui propositum habent quantum in hac mortalitate possibile est piè, justè, & innocenter vivendi. Aderat 29. Decembr. dies ille fatalis & funestus nobis vero semper luctuosus & acerbus: Aderat hora ferè octava vespertina, qua morte facili, leni, dulciq̃ue sopori non absimili discessit, qua animam suam creatori reddidit, atque vitam caducam, vitam fallacem, vitam ærumnosam, vitam erroribus ac miseriis plenam, cum vita perpetua, vita secura, vita beata, vita vera & immortalis commutavit, expleto Anno ætatis trigesimo sexto, diebus 20.

O Inconstantiam rerum humanarum! O studia curasque hominum tenues &

miseras! O fallacia bona, citoque pereuntia & laborum nostrorum flores antequam fructus pariant exarescentes & caducos! Rectè vita nostra in sacris literis comparatur, modò velocissimo cursori in itinere suo properanti, modo navibus poma portantibus, quæ quanta possunt celeritate navigant, nepoma putrescant: alibi comparatur umbræ, fumo & aquæ perpetuò decurrenti & nunquam revertenti. Quæ omnia experientia & hoc insuper demonstrat ac confirmat, vitam humanam hodiè longè brevioribus terminis quam olim definiri. Quemadmodum sub Octaviano Cæsare, Imperium populi Romani ad extremos penè oceani fines se præferebat, processu vero temporis sic paulatim decrevit, ut latissimum illud Imperium quod universum ferè mundū ambitu suo complectebatur, vix angustis Germaniæ finibus hodie contineatur. Eodem ferè modo res se habet circa ætatem hominum, quæ initio mundi ad multa annorum centenaria porrigebatur, paulò post ad brevissima vitæ spatia contracta est, ut qui ante diluvium nongentis annis vixerant, hodiè septuaginta annos raro excedant: ita ut si priorum hominum vitæ compare-

paretur multis partibus ea sit angustior. Ex-
acto enim quinquagesimo aut ad summum se-
ptuagesimo vitæ anno, aut nullum aut exigu-
um spatium ad extremum fati diem nobis su-
perest, in quo omnia quæ de terra sumpta sunt
in terram convertentur, & terræ antiquæ omni-
um matri reddentur. Illa nostros quos nunc
tantoperè diligimus oculos, nostras manus, no-
stra quæ ita excolimus corpora, quibus ex ulti-
mis Oceani littoribus præciosa edulia & condi-
menta conquirimus, adeoq; tenerrimè & plus
quam delicatè nutrimus, in sinu suo complexu-
ra & in cinerè redactura est. Hæc cum ita se ha-
beant, & mors nobis omnibus ex æquo impen-
deat & penè inforibus cuiq; & in insidiis posita
sit, totaq; hujus negotii summa in eo consistat,
ut nos paratos hæc hora inveniatur, certè nihil de-
mentius est, quam nos sic vitam nostram insti-
tuere, sic terrenis rebus incumbere, ut nulla hu-
jus tantæ rei cura, nulloque metu tangamur,
sed in maxima pace & tranquillitate in utramq;
aurem dormiamus, perinde atque omnia quæ
hæc de re divinitus nobis nunciantur, mera fo-
rent somnia atque fabulæ. Christiani certè
hominis vita in his terris nihil aliud esse debet
quam

quam continua ad mortem præparatio. Nam propter in certos casus mors quotidie imminet & ob vitæ hujus brevitatem nunquam longè abesse potest. Sed ita plerunq̄ue fieri solet, ut de aliorum morte sæpius de nostra verò rarissimè cogitemus. Quanto autem melius illi faciunt, quam felices & beati sunt illi, qui horam mortis lux semper ob oculos habent, & quotidie ad moriendum se disponunt, qui tales nunc capiunt esse in vita, quales optant inveniri in morte: Vivere secundum Senecam in tota vita discendum est, & quod magis admirandum est in tota vita discendum est mori. Cur non tabulas illas pactorum dotalium nobis ob oculos ponimus, quibus sigillo nostro roborandis sæpe numero adhibemur? In iis vir uxorem ducturus mortis statim meminit in despōsatione: nondū uxor in maritæ des introducta est nihil minus mors statim describitur: nondum convenerunt neq̄ue nuptiæ habitæ sunt, nihilominus mors statim definitur. Lamentanda certè hominum fatuitas atq̄ue dementia est, qui cum tantam incertæ mortis rationem habeant, nulla tamen extremæ illius sortis atq̄; sententiæ expectatio mentes nostras stupefaciat.

Cogi-

cogitate mecum mortales & perpendite , ho-
ram mortis ad agendam pœnitentiam esse im-
peditissimam, in qua mille animi curæ, mil-
leq; corporis dolores, â studio pœnitentiæ nos
avocant. Moriturus quippe memor est, aut de-
solatæ uxoris, quam viduam relinquit, aut libe-
rorum, quos orphanos deserit, item dolorum
corporis quibus premitur, quando & febris ur-
rit, & sitis æstuat, & vigilia debilitat, & lingua
rigit, & membrorum penè omnium dolor tor-
quet, unde fit, ut tota hominis mens sit quo eam
vis doloris impellit, Dei verò memoriam cu-
rarum angor penè totam extinguat. Tum de-
mum cognoscimus, quam ægrè anima nostra
ab hujus corporis ergastulo divellatur, quam æ-
grè ex hoc mundo emigret caro, in quo tot pre-
tiosa sibi relinquenda sunt; Cui durum est â di-
lecta conjuge, â dulcissimis liberis, ab amicis
suavisimis nunquam rediturum discedere: sed
cogitemus, corpus hoc teterrimi carceris instar
esse, in quo anima cum turpissimis affectibus
conflictans, tum demum liberabitur, quando
vinculis suis soluta in æternum cum Christo vi-
vet. Absit itaque â nobis muliebris illa & ef-
fœminata pusillanimitas, qua multi morituri

msd

D

sortem

sortem suam ita deplorant, quasi ipsis solis moriendi legem Deus imposuerit, & à suis non aliter cum summo luctu divelluntur, quasi nemo in orbe restet, sub cuius providètia illi, sublati ipsis tutò agere possint. Quibus potius cogitandum est, hanc universæ terræ viam esse, nullamque sibi injuriam fieri, si à communi omnium sorte non eximantur. Neque verò inficior, sustineri à morituris gravissimos agones, priusquam anima vinculis suis soluta ex corporis hujus ergastulo exeat: Cessant tunc ferè omnium membrorum officia, & plerunq; lingua quoque deficit, sensus reliqui hebetantur, & non rarò rationis quoque usus nullus est amplius. Ut nihil dicam de corporis doloribus, animæ timoribus, cum quibus concurrunt cogitationes rerum externarum, afflictiones rerum futurarum, memoria peccatorum præteritorum, timor reddendæ rationis, terribilis sententiæ, quam reformidat conscientia, incipiens videre illud quod nunquam viderit antea, nihil proficientibus antea gestis, frustra defendentibus divitiis, deserentibus amicis, non comitantibus famulis. Sunt hæc dura per se & astantibus tristissimum spectaculum exhibent:

bent: Brevis tamen est hæc læta, & finem for-
titur beatissimum, quando per hanc ad æterni
regni possessionem eluctamur, ubi omnis do-
lor abolebitur, & æternum cum illo gaudebi-
mus, qui eadem pro nobis passus est. Hæc est
illa sapientia, qua nulla major homini in his
terris contingere potest, quæ res suas ita dispo-
nit, ut finis lætus sit & beatus. Hæc est illa sa-
pientia, quæ omnia humana docet contemne-
re, & mentem ad æterna illa bona erigit, ni-
hilque magnum in hoc mundo habet, nisi ani-
mum magna contemnentem, & ad superna il-
la solatia aspirantem. Hæc est illa sapientia,
per contemptum mundi tendere ad regna cœle-
stia, & omnia pro vanitate habere, præter ama-
re Deum & illi soli servire. Nostra vero vita,
non tam vita quam longa dolorum colluvies,
& durissimi carceris patientia est, ubi tot mor-
borum genera, tot charorum funera, tot clades,
tot calamitēs, tot insperati casus concurrunt,
ubi homo multis peccatis inquinatur, multis
timoribus stringitur, multis curis distenditur,
multis laboribus implicatur. Hæc vita quic-
quid habet præter animum, nec oculi nec nares
ferunt: Hunc qui adversus morbos, & omnes

humis

D 2

huma-

humanæ vitæ tempestates, præcipuè vero supremam illam horam indurat, seque ad futura illa certamina præparat, ille mortem prævenire, fortiter contemnere, & tutò æternitatis gaudia intrare poterit.

Tu quoque desideratissime frater, beatissima anima, tu inquam à prima juventute tua non delitiis, aut vitæ hujus brevissimis inanibusque oblectamentis, sed virtuti, gloriæ & æternitati te consecrasti: Tu semper cogitasti, corpus magnorum virorum esse caducum & mortale, animi vero præstantiam, quæque ex animi præclaris motibus nascitur, gloriam sempiternam. Tu animum illum tuum magnum, illum immortalem, qui nec perit, quem nec morbus conficit, nec mors ulla perimit, languentibus jam oculis, titubante jam lingua, jam singultiente spiritu, in ipsa morte Servatori suo reddidisti, obtulisti & consecrasti. Tu exilium in Patriam, mortem in vitam, mœrorem in gaudium, laborem & lachrymas felici commertio in æternam læticiam commutasti. Et quamvis tibi de vitæ hujus usu, cum adversa fortuna, tum incommodæ valetudines, & mors


demu-

demum ipsa multum detraxerit, tamen posteritas, fama, & omnes boni, multò plura addent ad tui nominis gloriam, celebritatem, memoriamq; sempiternam. Salve & Vale desideratissime frater, beatissima anima, & in æterno illo ac florenti omnium beatorum cætu latere, exulta, triumphâ, & perpetua illa felicitatis corona perfruere: Exuviæ tuæ hic placidè & sanctè quiescant, donec optatissimus & lætissimus dies, felicem tuam animam huic tuo corpori, & nos tecum in vita & gloria immortali conjungat.

D I X I.



Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is largely illegible due to fading and bleed-through.







Nh 122

ULB Halle
002 714 272


3




st

1017







27. 26

ORATIO

DE

Vita & Mortæ

CLARISSIMI ET POLITIS-
SIMI VIRI,

DOMINIO

ACHIMI STRASBURGI, CON-
siliarii Hassici, & in Aula Cæsarea quondam à ne-
gotiis, &c. Qui 29. Decembr. Anni 1620. Servestæ in-
ter Septimam & Octavam vespertinam
placidè in Christo obdor-
mivit.

RECITATA

In Illustri Gymnasio Servestano

à

GULIELMO STRASBURGO. fr.

SERVESTÆ

Apud Zachariam Dörfferum,

ANNO M. DC. XXI.

*Clarissimo ac Potissimo Viro Domino Magistro Petro à Jbera
Scholæ Servestanæ Rectori meritoſissimo amico suo
ſingulari ac perſevero p.*